

Kern 3490 C 1-16)

547





Kern 3490



AN
FEMVR ALIQVANDO ET QVA-
NAM METHODO E CAVITATE
COTYLOIDEA SIT AMPV-
TANDVM?

CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS
MEDICAE

PRAESIDE

PHILIPPO FRID. THEOD.

MECKEL,

MEDICIN. ET CHIRVRG. DOCTORE,
PROFESSORE PVBL. ORDINAR., DIRECTORE
INSTIT. CLIN. REG. CHIRVRG.

PRO

SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS

LEGITIME OBTINENDIS

DIE XXVI. NOVEMBRIS MDCCXCIII.

PVBELICE DISPUTABIT

FRANCISCVS UNGER,

SERVESTA - ANHALTINVS.

H A L A E,

T Y P I S C V R T I A N T I S.



AN

REMYN ALIQUANDO ET QVA
NAM METHODO E CAUSATE
COTYFOIBRA SI AMVA
TANDAM?

CONSERVA MANTENT FACULTATIS
MEDICAE

FRANCOE

PHILIPPO FRIB THEOD

M B C R E T

MEDICIN ET CHIRURGIAE DOCTOR
PROFESSOR PABE MEDICAE FACULTATIS
LITTE CIVI REG CHIRUR

MD

AVMMS IN MEDICINA HONORIBUS

REGIUM UNIVERSITATIS

DE XVII NOVEMBRS ABBEYCH

FRANCOE

FRANCISCVS UNGER

FRANCOE

B A L A E



V I R O
I N M E D I C I N A E X P E R I E N T I S S I M O
F R A N C I S C O C O L S O N ,

H A S C E
P R I M I T I A S

D. D. D.

A V C T O R .



VIRG

IN MEDICINA EXPERIMENTISSIMO

FRANCISCO COLSON

HASCE

PRIMITIAS

B. D. D.

A. V. C. T. O. R.



En adest dies , quo absoluto vitae academi-
caе curriculo honores artis nostrae summos
ambiam, et ex legibus institutisque maiorum spe-
cimine quodam ostendam , num merear proposita
virtutis eruditionisve praemia. Quod etiamsi nec
rara nec inaudita contineat, tamen magis scriben-
tis debet spectari voluntas, quam eruditionis quae-
dam ostentatio.

Com-



Commoramur enim in academiis, ut ambitum disciplinarum medicarum sub auspiciis Professorum penitus cognoscamus, non ut inventa nova et arcana ex intimis medicinae penetralibus eliciamus.

Ergo L. B. sis memor in huius scripti lectione, a iuvene invenilem modo laborem expectandum esse.


I. Fuit



I.

Fuit quondam aetas illa prosperrima, tot poetarum cantibus celebrata, ubi in leviori aliqua atque incruenta curatione morborum tota versabatur chirurgia. Verum postquam ferrum e terrae penetralibus erutum est, proh quanta erupit malorum cohors! variae excuduntur armorum species, committuntur praelia, et erepti letho milites aegre membra vitamque morte nonnunquam peiorem trahunt multiplici cruciati vulnere.

Compagem humani corporis crudelibus hisce mediis labefactam aut solutam, restituere pene sola potest ars chirurgica. Quot enim bellatores, laesis fractisque artubus, cito fata subirent ultima, nisi solers chirurgus auxiliatricem manum porrigeret; pro varia vulnere speciei, varia curationis ratio:



ratio: hostem interdum quidem, sed raro, medica-
 trix natura proprio Marte debellat: saepius vero
 chirurgum assumit ducem, ut firmo hujus pede,
 ipsa monstrante viam, incedat. Ne te deterreant
 insoliti eventus, in desperatis casibus viriliter moliri
 operationes. Praestat enim, anceps quam nullum
 tentare remedium: extrema extremis curantur:
 quid non audendum, cum de eripienda Taenariis
 faucibus victima agitur? Nec quicquam interest,
 inquit Celsus, an satis tutum sit remedium, quam
 nullum. Noli tamen esse plus aequo audacior.
 Certae sunt artis Chirurgicae leges, certa sunt
 praecepta, quibus tanquam Ariadnes filo utendum.
 Maneat inprimis alta mente repositum effatum illud:
 quicquid in desperatis morborum angustiis Chirur-
 gia tentat, illud possibile et necessarium esse suffi-
 cit. Eo mentis consilio impulsus, tum veteres, tum
 recentiores chirurgi varias, licet haud prius tenta-
 tas, operationes felicissimo cum successu adhibue-
 runt, nos vero illorum freti auctoritate ac exem-
 plis admittendam amputationem femoris in cavitate
 cotyloidea statuimus, duplici nimirum ratione, per-
 suasi.





1) cum fieri ea quidem vere possit.

2) cum saepius fieri necessario debeat.

Ardua molimur, sed nulla, nisi ardua virtus.

II.

Quot et quantis elatus est laudibus peritissimus ille vir, qui primus in cavitatem glenoideam scapulae scalpellum immittere feliciter ausus est. Easdemne laudes meretur, qui femoris amputationem in cavitate cotyloidea tentaverit ac suaferit? Cur pariter os femoris in acetabulo refomidares amputare, si aliunde nullum prorsus petendum fuerit auxilium?

Eadem quidem fere est femoris ac humeri fractura: idem ergo ex utraque amputatione sperandus exitus.

Amputatio humeri in articulo si instituitur; brachialis arteria ligatur, cum plurimi nervi medullae spinali proximi discinduntur: dissecantur musculi XIV et ligamentum capsulare.

Cum





Cum amputatur femur in acetabulo, ligatur arteria cruralis; nervus ejusdem nominis et Ischiadicus refecantur: sed ex hac ligatura leves ut, ex brachialis ligatura oriri dolores, levioraque debent sequi accidentia, quam in brachio, ratione situs et numeri nervorum. Deinde fit sectio duorum ligamentorum, quorum alterum capsulare, alterum vulgo teres dicitur, posterius parvi pendendum. Secantur quidem XXIII muscoli, quorum sex vix tanquam unus aestimandi sunt: pyramidalis, gemelli, obturatores et quadratus. Ex aliis XVII cruralis et duo vasti, omnium crassissimi, una cum femore, cui adhaerent, omnino eximuntur. Ergo aequus numerus musculorum in femore ac in humero putandus, dum operationem molimur. At vero ex his, qui supersunt, refecantur psoas, iliacus, lividus, fascia lata, et glutaei, in parte tendinea unde minima vel vere nulla suppuratio; et alii sex, excepto tricipite, cuius infra ligaturam pars superest minima; sunt graciles in parte sua superiore, ubi fit sectio, seminervosus, semimembranosus, biceps, gracilis, rectus cruris, denique sartorius, in quibus solis ut et in

con-

contextu cellulari suppuratio expectanda: ergo femoris aequae ac humeri in iunctura amputatio fieri potest.


III.

Femoris in acetabulo amputandi causa multiplex esse potest; fractura nimirum oblonga, caries ossium, et praecipue sphacelus. Uberior ventilatio argumentorum pro et contra amputationem, invenitur apud Bilguer, Kirkland, Tissot.

Oblonga dicitur fractura, quando vi externa os secundum longitudinem suam instar ligni fissum est. Haud facile talis fractura cognosci potest, nisi cum ossa fere nuda sint, ut in anteriore cruris parte, ubi os tibiae fatis nudum tota fere sui longitudine digitis tangi potest. Ex illa fractura gravissima sequi possunt mala, quae quidem, sed sero nimis, illam adfuisse indicant. Ita apud *Boerhavius* *) legitur: Oblongae fracturae difficilior detectio, nisi sero etc.

Femore

*) *Boerhave* Aphorism. 345.




Femore sic fisso, franguntur vasa per ossis substantiam decurrentia, paulatim distenduntur ligamenta, diffunduntur liquida, unde humorum corruptio, partium incumbentium inflammatio, gangraena et alia eiusmodi metuenda sunt. Difficilima quidem est huius fracturae diagnosi. Potest vero ex sequentibus efformari.

1mo. Si globus e sclopeto aut tormento bellico emissus femur violenter percusserit.

2do. Si tantus sit dolor, ut somnum perturbet.

3tio. Denique si fuerit maxima anxietas in articulo, praesertim in exercendis femoris motibus. Illae autem fracturae frequentiores sunt in castris: saepe enim fragmenta pilarum ferrearum excavatarum, pulvereque tormentario repletarum (Bomben), aut bractaeae grandinis ferreae (Kartaetschen), aut alia bellica instrumenta mediam femoris partem auferunt: post amputationem chirurgi manu perfectam, aliquot elapsis diebus perit aeger. Tunc fracturam femoris oblongam usque ad caput eiusdem ossis extensam, ligamentorum distensionem, periostei muscu-




musculorumque inflammationem et per saepe gangraenam causas fuisse mortis animadvertitur.

Sphacelus quoque amputationis causa. Si per validam contusionem sic laesa fuerint cuiusdam membri vasa, et ita destructa fuerit illius fabrica, ut nullus amplius humorum vitalium fieri possit circuitus, nullusque adsit sensus, nec calor in parte contusa; si denique putredine nata oriatur foetor cadaverosus, tunc sane denegato amputationis auxilio cito mors occurrit, ut patet exemplis sequentibus:

Praefecto navis bellicae totum brachium ad humerum usque adeo contusum fuerat ac conquassatum, ut neque omnino sensus neque calor ullus in tota hac corporis parte superesset, et, quamvis verus sphacelus iam ultra humeri articulum proserpisset, iamque cadaveroso foetore totum corrumperetur brachium, chirurgus arte sua et aequanimitate aegroti fretus certae morti incertum praetulit remedium, et immediate membrum ex articulo extirpavit. Idoneis deinde remediis, adiuta reliquum superavit natura, quod iam corruptum erat; et in-

tra






tra bimestre spatium incolumis ad suos rediit ex
 ipsis orci faucibus ereptus aeger.

Alium ejusmodi casum aurigae non possum
 quin adhuc enarrem. Ille concitatis in cursum fu-
 ribundum equis e curru delapsus femur dextrum
 rotis implicatum in collo ossis contritum habuit:
 sic ut nullus amplius sensus nec calor superesset.
 O felicem nimium, si in tam imminente periculo
 femur amputasset auxiliator chirurgus: verum na-
 turae confidens nimis, aeger quarta die supremam
 diem obiit, ex quo deducendum est, amputationem
 femoris in acetabulo fuisse necessariam.

Quam frequentiores amputandi femoris causae
 cruenta post certamina! glandes, globuli, pilarum
 tormentariorum fragmenta etc. non modo fibras, ve-
 nas, arterias, musculos et nervos dilacerant, sed
 etiam maiora vasa, ossaque contundunt et disrum-
 punt; unde partes calore vitali destitutae, multipli-
 cem continui solutionem, multiplex morbi genus
 et lethalia inducunt symptomata.

Exem-



Exempli vice adducam fracturam femoris in collo, vel prope collum cum ligamenti capsularis et musculorum dilaceratione. Fac superveniat arteriae cruralis aneurysma! — an committendus aeger naturae? Quodnam adhibendum auxilii genus? Unice hoc afferri potest amputatione in articulo. Ad quam dum te accinxeris, in iustorum aequorumque iudicum haudquaquam incurres reprehensiones, cum occasio fuerit praeceps atque periculum instans.

IV.


Antequam autem ad descriptionem ipsius methodi progrediar, liceat mihi, nonnulla, quae ad historiam huius operationis pertinent, praemittere.

Primus, qui An. 1739 de hac operatione instituenda scripsit, fuit Cl. Wohler, Regis Daniae chirurgus¹⁾.

Hic


1) Vid. Morand opusculum de chirurgie, 1768 p. 189 seq.





Hic methodum sequentem proposuit: Aegro in situ opportuno collocato incisionem sub ligamento Faloppii facit, vasa ita nudata devincit, cavendo autem, ne nervi comprehendantur in ligatura. Quod ut efficiat, elevantur ope hamuli obtusi vasa, et acu curva paulo latiore paululum curvata quatuor filis ceratis latoribus cum vena focia arteria deligatur. Arteriae splenium imponitur. Quo peracto aeger in ventre collocandus; deinde femur paulisper flexendum, vel si dextrum tolli debet — versus sinistram partem adducendum, ita ut musculus glutaeus maior aliquantum intendatur, cuius cutis, dum interea minifter eam reducit, quemadmodum in iterata sectione fieri solet, primum inciditur, ad duos vel tres digitos transversos infra eam sedem, in qua carnes paulo post secandae sunt. Deinde, sub tubere ischii glutaeus maior dissecatur oblique deorsum versus trochanterem directa cultri lamina, ut musculus in loco infertionis seiungi possit, servato tamen eius segmine. Quo reclinato omnes illi muscoli dissecandi sunt, qui maiori trochanteri adhaerent, vel ei proximi sunt, glutaeus medius et minimus, quadratus, gemini, obturator internus et externus. Tunc indi-


ce



ce digito sinistrae manus margo cavitatis articu-
laris quaerendus est, quo cognito ligamentum capsu-
lare inciditur, id quod in sede ab illo margine paulo
remotiore fieri oportet, ne ille scalpello vexetur.
Praecipue vero curandum est, ut ea pars huius li-
gamenti disseccetur, quae in anteriore femore intra
trochanteres oblique adhaeret; in ea sede enim maxi-
ma articuli firmitas. Cum hoc secandi sunt muscu-
li, qui ibidem terminantur. His peractis agitato
femore eius caput de articulo emovetur inciso
simul ligamento tereti et reliquo capsulari. Quo
tandem facto carnes anteriores circumsecantur om-
nes, et quotquot a tubere ischii oriuntur. Membro
sic penitus dissecto et e medio sublato, carnis seg-
men posteriore illud vulnere superimponitur, em-
plastrorum glutinantium et fasciarum ope ibi con-
tinentum.

Ab hac methodo parum differt Celeberr. Pou-
teau Chirurghi Nionensis curatio, qui eodem anno
una cum Wohlero huius curationis consilium et
modum communicavit, missis ad Academiam regiam






differtationibus. Utraque dissertatio Morandi cura edita est 2).

Anno 1743 Petr. Lalouette Med. Doct. Parisiensis in academica exercitatione hoc argumentum tractavit 3)

Lalouetti methodus in eo maxime a praecedentibus differt, quod vasa peracto demum opere divinciantur. Sanguinem vero in ipso opere ruentem ope torcularis in hunc usum fabrefacti continet. Arcu quidem chalybeato, lana et corio involuto, aeger cingitur, cuius una extremitas supra ossis ilei superiorem partem excurrit, desinitque in infimis lumbaribus vertebrae, iuxta spinam superiorem ilei firmanda, altera extrema pars anterieus applicatur ad symphyisin ossium pubis. De utraque
huius


2) Vid. Morand. opuscules de chirurgie 1768 pag. 189 et 199 seqq.

3) An femur in cavitate coryloidea aliquando amputandum, Parisiis 1748.



huius arcus extrema parte emergit subligaculum ex corio confectum, quod quidem alteri pelvis parti circumducitur. Hoc lorum firmatur fasciae ope, quae inguini sani lateris circumvolvitur, ibique arcum ferreum adnexum habet. Cochlea mobilis, quae huic loco adhaeret, globumque subiectum habet, medio inter spinam ossis ilei et symphyseos ossium pubis loco, arteriae crurali adprimitur. Aegrum fere in sanum latus decumbere oportet. Sectione primum femiorbicularata, quae incipit a superiore maioris trochanteris parte, desinitque iuxta tuber ossis ischii, involucra cum pinguedine, fascia lata, musculi glutaei, tendinesque musculi pyramidalis et utriusque gemelli, obturatores et quadrati inciduntur usque ad articulum. Tunc ligamentum capsulare, digiti apice exploratum, diffecatur. Interea minister femur agitat introrsumque movet, sic, ut ligamentum illud, quo caput femoris cotyloideae cavitati annexitur, retrahatur versus tuber ossis ischii, quo facilius illud possit diffecari. His





peractis femur versus pectus inclinatur, urgeturque leni agitatione versus pubem, ut caput ossis emoveri possit. Hoc emoto, id quod superest capsulae ligamentosae et carniū, circumsecandum est. Ex internis quidem et anterioribus carnibus lacinia, vel segma carnis conficitur, cujus longitudinem ac modum ad aegri habitum oportet accommodari. Femore jam demto vasa deligantur, et lacinia illa adducitur ad oppositum vulneris marginem, ibique emplastrorum glutinantium ope continetur, relicto tamen hiatu, ut puri et saniei exitus pateat.

Post hunc Cl. Ravaton hujus chirurgiae instituendae methodum descripsit, 4) quam autem praetereo, quia nimis crudelis, et a celeberrimo Bagieu jamjam satis vituperata est; jam ea de causa mihi impossibilis videtur, quia arteriae in ipso opere neque comprimuntur neque deligantur.

Anno

4) Traité des Playes d'armes a feu p. 345. cf. chirurgie d'Armées, Cap. XXVII.

Anno 1759. Cl. Moublet in dissertatione de eodem argumento 5) proposuit, quae parum differunt a Wohleri ratione, quam supra jam descripsimus.

Eodem anno Academia Chirurgiae Parisina quaestionem proposuit: 6) Dans le cas, ou l'Amputation de la Cuisse avec l'os de la hanche paroitroit l'unique ressource pour sauver la vie a un malade, determiner si on doit pratiquer cette operation, et quelle seroit la methode la plus avantageuse a la faire?


Anno 1768 Celeberr. Morand de hoc argumento dissertationem edidit 7), in qua praecipue nonnulla argumenta, quae contra operationem esse videbantur, debellat.

Porro

5) Vid. Journal de Medicine p. M. Vandermonde, T. II. p. 240 seqq.

6) Vid. Prix de l'Academie Royale de Chirurgie, T. I. P. II. p. 103.

7) Vid. opuscules de chirurgie p. Morand 1768 p. 176 seqq.



Porro de experimentis in animalibus captis nonnulla enarrat exempla ⁸).

Nuper autem Toll in medic. commentar. Edinburgens. ⁹) historiam nobis enarravit puellae cui cariei in articulo et in capite ossis femoris causa, femur ex articulo excindebatur. Incisione primum a Trochantere magno incipiente et oblique ascendente usque ad interiorem partem femoris, et secunda, illi opposita directione facta cutem incidit autor. Eodem modo musculus sectis et caput ossis de articulo emovit, quod, ligamento capsulari jam suppuratione destructo, facile fiebat. Nunc partes molles interni femoris lateris laciniam formabant, qua vasa majora comprehendebantur. Hac lacinia manu prehensa, bene compressa, et sub ligamento Pupartii percussa, vasa subligavit et ita operationem absolvit.

Post

⁸) c. l. p. 185. seqq.

⁹) Vid. Medicinische Commentar. von einer Gesellschaft der Aerzte zu Edinburg, Th. 6. St. 3. Abschn. 2. p. 359.

Post operationem autem cavitationem articuli ipsam esse cariosam animadvertebatur.

Quinta a vulneris obligatione die ligatura decidit.


Undecima die autem aegra respiratione anxia et aliis symptomatibus phthisicis corripiebatur, et duodevicesima, diem supremam obiit.

Post mortem superficies pulmonum ulcusculis plena inveniebatur, ex quo facile concludi potest, vulnere bene sese habente, puellam potius phthisi quam operatione mortuam esse.

Superest denique Flajani, qui hanc operationem etiam suadet. ¹⁰⁾ Sectione longitudinali incipit, ad arteriam denudandam. Quandoque caput femoris refecat e cavitate cotyloidea antequam scedi fuerint penitus muscoli.

¹⁰⁾ Flajani osservazioni pratiche sopra l'amputazione degli ar-

ticoli in Goettinger Anzeigen Sr. 165. p. 165r. anni 1792.



V.


Priusque fiat amputatio femoris in acetabulo,
 plura sunt disponenda:

1mo. Circa hanc operationem rite instructus
 chirurgus adiuvetur ministris, qui partem exstirpan-
 dam operanti, recto situ servare et immobilem
 aegrum retinere valeant.

2do. Idoneis operationi instrumentis munitus
 sit chirurgus. Sint vero: Scalpellum, acus incurvae
 multiplici filo cera obducto munitae, culter rectus
 longior, densior, et illo obtusior qui ad ossium amputa-
 tionem quae in media membrorum regione fit, vulgo
 usurpatur.

3tio. Totus praesto sit apparatus, nempe lin-
 teum carptum, plumaceola, splenia figura et densi-
 tate diversa, fasciolae emplastro adhaesivo inductae;
 fascia pulvinaris instar eum subligaculis.

4to




4to. Denique agaricus seu styptica.

VI.

Omnibus rite dispositis, aegrotante bene firmato et decubitus supinum servante, chirurgus molietur ope scalpelli sub inguine incisionem, quoad possint vasa detegi cruralia prope inguen liganda: quibus ligatis, aeger ita reponendus est, ut, thorace et capite depresso, in sanum latus recumbat. Tunc adiutores femur sustineant, dum alii cutem cum musculis retrahunt: deinde Chirurgus prope sartorium in femur cultro immittens illumque super os ducens, femur cultro transadigat, maiorem ultra trochanterem, a quo discedens primam laciniam conficiat, in qua comprehendantur, cutis, recti anterioris pars, vasti externi portio, et fascia lata. Tunc minister hanc laciniam attollat, ut nudus appareat maior trochanter, et subito secentur in sua insertionem unaque incisione, glutaei, pyramidalis,


obtu-



obturatores, et gemelli. Dein femur moveatur introrsum, ut operator articulum indice digito manus sinistrae tangens, capsulam cultro forma circuli dimidii aperiat: quo motu quaque sectione, femur iam luxatum offerat ligamentum teres, quod prope caput femoris refecandum: Hisce peractis, chirurgus caput femoris sinistra manu praehendens ad se attrahat et cultrum circa caput femoris ducens, cavendo ne laedatur ambitus cavitatis cartilagineus, reliquum capsulae abscindat, unde minorem petens trochanterem, quadrati, iliaci psoae, lividique tendines refecabit; denique reverso postice cultro, ceteros musculos, bicipitem, femimembranosum, gracilemque internum transversim rescindat, et inverso cultro, a tubere ischii, quantum poterit discedens cutem sectione obliqua refecet: unde posterior lacinia emerget: Tali denique modo amputatio absolvenda.

Fracturam femoris oblongam praecipue spectat illa methodus. Varia quidem esse potest pro variis

casu-




casibus; nempe si femur fractum fuerit in collo et si musculorum insignis deperdita fuerit substantia; praescripta ante haec methodus in nullis casibus negligenda; neque tyronibus, sed exercitatissimis chirurgis committenda.

Femore sic exempto sanguinem ex ischiadica et obturatrice arteriis erumpentem Chirurgus vel ligatura vel agarico coerceat, ¹¹⁾ sed praecavendum ne ischiadico nervo una cum arteria ligato, convulsivi motus exoriantur. Extrema florum insuper vulnus reponenda: plumaceolis oleo terebinthinae vel balsamo quod a Fioraventi nomen habet imbutis repleatur acetabulum, ne faniosa materies longiore mora cartilagineum laedat. ¹²⁾

Segmenta vulneris secum iungenda propius et illis, ut contineantur, imponendae fasciolae, de quibus

¹¹⁾ Cavendum quoque ne rami laterales arteriarum iligari maneant.

¹²⁾ Omnem apparatus involvat vesica porcina, quae mihi commendanda omnino videtur. Vid. Fabris Untersuchungen.



bus supra iam sermo fuit. Ita tamen hoc fiat, ut ferofis humoribus plures pateant aditus; denique reliqua vulneris pars exacte obligetur, et totus, fascia iam descripta, retineatur apparatus: verum antequam applicetur fascia, opportunum fore putamus, apparatus spleniis liquore quodam calido et spirituoso madidis involvere, quae calorem concilient usque dum sanguis nativum vitae fomitem redditurus novas sibi vias expediverit.

VII.

Accidentia tenuis victus ope, repetitisque venaesctionibus debellanda: decubitum semper supinum retineat aeger ut facilius humorum et puris evacuatio per partem vulneris inferiorem obtineatur. In omnibus deligationibus attendendum est ut cavitas Cotyloidea quo ocludatur usque, perfecte repleta sit, (ut supra) Bis obligetur in die vulnus, dum recens plumaceolis digestivo illitis, quod leni stimulo



ffimulo partes vivas semimortuis subiacentes irri-
tet, ut celeriter harum fiat suppuratio.

Plumaceola toto curationis tempore fasciis
sustineantur, labia vulneris ne dehiscant. Deinde
emplastro et fascia sic firmentur, ut levi pressio-
ne nimiam vasculorum dilatationem impediunt et
nimia pressione tenerrima haec vascula non destruant.
Debet etiam sic obtegi vulneris superficies, ut ab
aeris contactu defendatur; nam aer, praesertim fri-
gidus, miro modo mutat partes vulneratas, tenerrima-
que vascula laedit et exsiccat. At vero cum in
vulneris fundo recrescentium et a marginibus sen-
sim sensimque protendentium vasorum videris con-
geriem, bonum inde praefagium formaveris; nam
illa vasa inter se ad unionem coeunt, et sic perdi-
ta corporis substantia mirabili artificio restituitur.

Amputato femore e cavitate cotyloidea secun-
dum dictam methodum, non insignior partim ex-
spectanda suppuratio, quia vulneris non erit maior su-

per-





perfacies, quam in solitis femoris versus partem supremam refectionibus, in quibus diuturnam patiuntur suppurationem aegri, donec cutis quae sensim sensimque succrescit vulnus occludat.

T h e s e s.

Nervorum actionis modus in totum latet.

Praeter sympathiam a nervis, nulla ponenda.

Motus internus partium oculi omnino ad meliorem visionem confert.

Aequae harmonicae videntur esse auri partium internarum affectiones cum iis externarum, ut auditus perficiatur.

Chirurgiae omnino sunt prae Medicina praerogativae.

Dantur omnino metastases lacteae.

Variolarum insitio naturali infectioni longe anteponenda.

Partes solidae, quo magis organicae, eo minus, natura sua praeditae, restituuntur.

Proprium stamen, non e glutine et terra tantum effectum, plurimis C. H. solidis adscribendum est.





10/18

PICA





7

AN
FEMVR ALIQVANDO ET QVA-
NAM METHODO E CAVITATE
COTYLOIDEA SIT AMPV-
TANDVM?

CONS

PHIL

ME
PROFE

SVMM

DIE

F R A

